

De Hippolyto Troezenio.

Hippolytum Troezene cultum antiquitus deum fuisse ¹⁾ primus Bultmannus demonstravit: qui quidem eum deum medicum, cum Aesculapio coniunctum, fuisse statuit, ad finem autem disputationis numen solare proprie fuisse dubitanter et fere ludendo coniecit. Hanc ultimam Buttmani coniecturam amplius persecutus est E. Mostius in dissertatione de Hippolyto Thesei filio, quae Marburgi prodit a. 1840. Neque enim coniunctionem eius cum Diana ad castitatem proprie et venerationem spectare, verum potius inde originem duxisse, quod Diana Luna sit cum Sole consociata: pariter etiam Phaedram, quae Hippolyto, i. e. sole, frustra potiri studeat, deam lunarem intelligendam esse dictam a splendore, quandoquidem Luna solem nunquam consequatur. Quod Diana *σύνθακος* Hippolyti adhuc apud Euripidem dicatur, ex eiusdem rei memoria fluxisse in templorum cultu conservata: item quod Hippolytus a tauro trucidetur, ad *Ἀρτεμιν ταυροπόλον* spectare. Quae an omni ex parte probanda sint, malo equidem eis diiudicandum relinquere, qui in antiquissimas veterum populorum religiones penetrare audent: quoniam talia non possunt per se sola enucleari, sed e multorum mythorum mutua comparatione pendent. Quanquam in illo vereor ut multorum assensum laturus sit Mostius, quod Phaedram se ipsam suspendisse propterea credit, quia luna in caelo tanquam pendens seque movens cernatur, eique rei plures etiam similes fabulas adhibet: solitum enim esse antiquis heroinis, ut laqueo vitam finiant, res est notissima. Verum illud certissime effecit Mostius, Hippo-

1) Cf. Paus. I, 32, 1; Eur. Hippol. 1424.

lyti cultum cum multorum aliorum numinum cultu coniunctum fuisse: e quibus Aesculapius et Diana iam sunt memorati: accedit Venus, quae, quia cum Phaëdra artissime est coniuncta, non potest non ei cum Hippolyto quoque aliquis nexus intercedere sive amicus sive inimicus, praesertim quum eam Venerem, cui templum Troezenem spectans Phaëdra dicavit Athenis, etiam Hippolyteam dictam esse discamus e schol. Eur. Hippol. 29. Addidit Mostius Minervam; quanquam quod ille inde argumentum petiit, quod Aethra, Hippolyti avia, Troezene sacra Minervae Apaturiae instituit, non habet multum momenti: paullo plus ei tribuendum videtur, quod Minervae Apaturiae zonam ante nuptias dicabant virgines Troezeniae, velut Hippolyto capillos. Unum autem deum nolim a Mostio praetermissum esse, cum quo aliquam certe coniunctionis rationem intercessisse Hippolyto crediderim, Neptunum. Ipsam enim urbem Troezeniam Neptuno sacram fuisse, immo Posidoniam olim appellatam esse novimus e Strabonis libro VIII, 373: unde facile alicui possit in mentem venire, narrationem de Hippolyti morte a Neptuno effecta eo a principio spectasse, ut Neptuni cultum in Hippolytei alicuius sacri locum invasisse significaretur. Cui opinioni id quoque potest adiumento esse, quod Athenis Hippolytus filius factus est Thesei, qui et ipse filius est Neptuni. Accedit quod equus, Neptunium symbolum, ut nomini ita etiam personae Hippolyti herois in artis operibus repraesentatae intime apparet coniunctus: qui autem heros et cultum illum Troezenium instituisse fertur et omnimodo cum Hippolyto est consociatus, Diomedes, et ipse cum equo est coniunctissimus. Ut hoc est, certe cum nullis numinibus aliquem nexum sive amicum sive inimicum intercessisse Troezenio illi Hippolyto elucet, unde et potentem deum fuisse et late potentem eius cultum apertissime cognoscitur. Posteriore autem tempore non deleta quidem, sed minuta est eius veneratio: ad quam rem fecerunt fortasse immigrantes Troezenem Dorienses: itaque factum est, ut Pausaniae aetate Troezenii ipsi sibi viderentur non potentem

deum venerari, verum aurigae signum coeleste. Aliis enim locis divinum numen in herois personam decrevit.

Nimirum Troezene alias in civitates migravit cultus Hippolyti. Athenas cum Troezene antiquitus artissime coniunctas fuisse Müllerus demonstravit in *Doriensibus* vol. I, p. 84 et 229, et Troezenis filii Anaphlystus et Spheltus Athenas migrasse ibique demos condidisse credebantur teste Pausania II, 30, 8. Itaque ut multa in fabulis utrique civitati cognata erant, ita etiam fabulam de Hippolyto Thesei filio deque Phaedrae amore Athenis viguisse res est notissima: ibique ei, ut heroi, *μῦμα* consecratum erat teste Pausania II, 22, 1. Item in Laconica cum cultum esse memorat Pausanias III, 12, 7. A Troezeniis autem, qui Ol. XV, 1 cum Achaeis Sybarim condiderunt, videtur ille cultus in Magnam Graeciam translatus esse, quam rem pluribus persecutus est Klausenius in *Aenca* vol. II, p. 1264: facit enim eo maxime Diomedis cultus in illis regionibus vigentissimus. Indeque haud dubie pervenit Ariciam, ubi cum Italorum Virbio commixtus est Hippolytus.

Tria autem praecipue e deo Hippolyto in heroem fluxerunt: coniunctio cum Diana, unde ortus est venator Hippolytus; oppositio cum Venere, unde orta est fabula de Phaedrae amore; oppositio cum Neptuno, unde orta est narratio de Hippolyto a tauro Neptuni trucidato. Rudem vero et silvestrem Hippolyti indolem usquequaque deprendimus, quam quidem e casco numine in heroem transisse veri est simillimum: castitatem contra et pudicitiam, utpote ab antiquis religionibus alienissimam, e poetarum et Euripidis imprimis ingenio addita esse recte haud dubie Buttmannus et Mostius existimarunt. Omnes enim tres fabulae partes in unum conglutinarunt Atheniensium tragici, maxime Euripides, e cuius dramate secundo, Hippolyto Stephanophoro (prius enim Callyptomenum fecerat), posterior aetas eam narrationem maximam partem traxisse videtur. Id quod non solum in poetarum narrationes cadit, sed praecipue etiam in artis monumenta,

in quibus late eum mythum patuisse vel ex hodiernis reliquiis cognoscitur: immo tres illae partes fabulae in eis manifesto discernuntur. Verum non omnes uno modo. Etenim in tanta copia monumentorum huc spectantium unum tantum aetatem tulit, quod tres fabulae partes uno conspectu complectatur, sarcophagum Agrigentinum dico, quem descripsi in diariis archaeologicis nr. 5. Huius rei causam Zoega inde repetendam duxit, quod mortem Hippolyti tanquam tristius argumentum non sine verecundia ausi sint artifices repraesentare, nec tamen videtur summi archaeologi sententia scriptorum memoria comprobari. Nam veterum scriptorum commemoratione duae innotuerunt imagines illud argumentum tractantes, una Antiphili, a quo repraesentatus est in porticu Philippi *Hippolytus tauro emisso expavescens*, ut verba sunt Plinii h. n. XXXV, 10, 37, altera ignoti, sed egregii pictoris, quam Philostratus describit II, 4. Neque enim Antiphili picturam, sed prorsus ab hac diversam Philostratum describere inde colligo, quod Plinii verba expavescentem Hippolytum, itaque vivum adhuc et illaesum, dum primum conspecto tauro terrore corripitur, denotant: in Philostratea autem imagine iam curru deiectus et semivivus est iuvenis, membris ex parte laceratis. Ceterum hac oblata occasione paullulum exspatiari libet, ut Philostrateam descriptionem paullo accuratius perquiramus. Etsi enim summa imaginis, qualem adumbrat Philostratus, plana est nec obnoxia dubitationi, addidit quaedam sive pictor sive rhetor, quae ad enucleandum sunt difficillima. Postquam enim descripsit sobria oratione imaginem, haec clamat sophista: σὺ δὲ, μειράκιον σωφροσύνης ἐρῶν ἄδικα μὲν ὑπὸ τῆς μητροῦς ἐπαθεῖς, ἀδικώτερα δὲ ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὥστε ὠδύρατο καὶ ἡ γραφὴ θρηῆνόν τινα ποιητικὸν ἐπὶ σοὶ ξυμφεῖσα· σκοπιαὶ μὲν γὰρ αὐταί, δι' ὧν ἐθήρας ξὺν Ἀρτέμιδι, δρούπονται τὰς παρειὰς ἐν εἴδει γυναικῶν, λειμῶνες δ' ἐν ὄρα μειρακίων, οὓς ἀκηράτους ὠνόμαζες, μαρμαίνουσιν ἐπὶ σοὶ τὰ ἀνθη, νύμφαι τε αἱ σοὶ τροφοὶ τουτωνὶ τῶν πηγῶν ἀνασχοῦσαι σπαράττουσι τὰς κόμας ἀποβλύζουσαι τῶν μαζῶν ἕδωρ. Quae

verba ut omnino miris difficultatibus impediuntur, ita *λειμώνας* certe non personatos fuisse iuvenum specie, verum ipsa prata marcentibus floribus intelligenda esse Welckerus docuit. Toelkenius enim *λειμῶνας* pulaverat sub iuvenum specie repraesentari, quiserta marcentia capitibus demoverent, ita ut maeror iuvenum marcentibus sertis exprimeretur, quales quidem ineptias tali pictori aegre quis imputarit. Si necessario iuvenes cogitandi essent *λειμῶνες*, ego saltem flores in Philostrati cerebro marcuisse existimarem: verum sic et ad nihilum redderetur sententia nec *λειμῶνας* omnino verisimile est sub iuvenum specie personatos fuisse. Nam quod Iahnus, qui in symbolis archaeologicis p. 327 Welckeri sententiam oppugnat, appellativa nomina nunquam alio nominis genere personata fuisse recte animadvertit, inde non sequitur, quodvis nomen suam habere *προσωποποιίαν*: *λειμῶνας* autem eo minus credibile est iuvenum speciem induisse, quia *νύμφας λειμωνιάδας* cognitatas habemus ex Apollonio Rhodio II, 655. Additamentum vero illud: *ἐν ᾧρα μειρακίων*, hanc vim habet: vel in iuvenili aetate marcescunt. Omnino autem hoc enunciatum non potest per se solum spectari, sed cum omni sententiarum nexu coniungi et comparari debet. Tota enim haec oratio Philostratea, cuius verba exscripsi, non iam ad describendam imaginem, sed ad exprimendam ipsius rhetoris mentem pertinet, ut picturam vix exspectemus accurate adumbrari. Quid? quod ipse significat Philostratus, ea, quae ad luctum locorum pertinent, non revera expressa esse in imagine: neque enim *θρήνον* simpliciter dicit *τὴν γραφὴν ξυντιθέναι*, sed *θρήνόν τινα ποιητικόν*. In quibus verbis *ποιητικόν* necessario oppositum est *ἀληθινῶ*, maxime autem eo, quod *τινά* addit, verecundiam suam in proloquenda sententia indicat sophista. Praeterea quum *σκοπιαί* et *λειμῶνες* omnino *ἐκ παραλλήλου* ponantur ac prorsus aequali sententiae conformatione coniungantur, etiam in pictura non diversas eorum rationes fuisse eoque neutra personata crediderim. Quaeritur autem, quid sit, quod *παρειὰς δρῦπτεσθαι* dicantur speculae.

Solum collium multifariam laceratum ac suffossum puta, ut tristis quidam habitus picturae exhiberetur: id quod sophista in suam sententiam ita vertit, ut colles genas planctu lacerare dicat tanquam mulieres. Nam ἐν εἶδει γυναικῶν hanc vim habet: ratione mulierum: cuius locutionis exempla exstant apud Aristotelem Pol. I, 4: ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὄργανον εἶδει ταῖς τέχναις ἐστίν, et apud Thucydidem III, 62: καίτοι σκέψασθε ἐν οἴῳ εἶδει ἐκάτεροι ἡμῶν τοῦτο ἔπραξαν: quo loco εἶδος non potest per εἶδος πολιτείας explicari, ut nonnulli voluerunt. In Philostrati autem loco eo magis necessaria est haec interpretatio, quia, si mulierum speciem revera speculae induissent, dicendum fuisset ἐν εἶδει γυναικῶν οὔσαι: et eadem quam potest proxime respondet ei quod de pratis dictum est: ἐν ὄρα μαιρακίων: quae quidem habitu monstri marcescere est consentaneum. Vera autem prata verosque colles intelligenda esse vel eo scriptor significat, quod ad illa addit: οὐς ἀκηράτους ὠνόμαζες, ad haec: δι' ὧν ἐθήρας ξὺν Ἀρτέμιδι. Quodsi summam sententiae spectes, qua in illa telluris conditione aliquem luctum sibi videtur Philostratus deprehendere, ea quidem ita est comparata, ut nihil possit contortius cogitari, sed verba summo artificio concinnata apparent, ut omnia quam maxime convenient declamatori. Iam vero tertia pars orationis consideranda restat, cuius diversam esse rationem vel eo scriptor significat, quod eam particula τέ prioribus annectit totamque immutat constructionem, immo Nympharum personas a fontibus aperte distinguit, quo quidem discrimen picturae manifesto significat. Quodsi iam antea colles et prata personata fuissent, hic etiam πηγὰς dixisset simpliciter. Conspiciuntur igitur Nymphae e fontibus emergentes: si ad Philostrati verba attendimus, consentaneum est non verum θρηῆνον esse, sed θρηῆνόν τινα ποιητικόν. Neque vel lacrymas fundere vel pectora pulsare sophista significat, sed nihil dicit aliud quam crines eas vellere et aquam mammis delluere. Iam quod crines vellunt, potest sane significatio luctus esse, nec tamen debet necessario: aqua autem e

mammis scaturiens aegre tantum ad luctum potest referri. Iam quum terra vehementer moveatur: Nymphae putandae sunt ex aqua prospicere terrore percussae, nec tamen lugent, quoniam terror luctum impedit. Crines autem sparsos habent manusque eis admovent, praeterea lympha a corpore defluit non solum, quia subito prosiliunt, sed etiam quia hic habitus corporis Nymphis maxime convenit. Nam quod in sculptis operibus siccis fere corporibus Nymphae comparent, non est mirum, quandoquidem et madorem corporis pictura multo convenientius exprimit quam sculptura et Nymphas e fontibus emergentes magis etiam decebat humiditas esse: ceterum et passi crines et nuda pars corporis superior huic picturae cum sculptura sunt communia et concha statuis Nympharum addita demonstrat, ne ab his quidem madoris significationem esse alienam. Et admotas crinibus manus et lympham defluentem pro sua sententia in luctum vertit Philostratus, illud non sine specie veri, hoc parum feliciter. Itaque habemus in pictura regiones omnimodo commotas adventu monstri marini et terrore repletas: eas pro suo consilio Hippolyti mortem lugere fecit Philostratus. Pictorem videmus egregie munere suo functum esse, sophistam multa quidem absurde commentum, nec tamen ut eius declamatio arte vacet rhetorica, maxime in componendis et limandis verbis.

Nec tamen haec imago et Antiphili solae fuisse credendae sunt, quibus Hippolyti mors est repraesentata. Quod ut per se spectatum facile intelligitur, ita magis confirmatur exemplis anaglyphorum, quae quidem picturam imitari veri est simillimum. Quum vero in Italia maxime cultus sit Hippolytus, quamque Aricinus ille Virbius vel maxime necatum a Neptuno Hippolytum referat, in Italia praecipue frequentatum esse illud argumentum est consentaneum. Haec autem velocis mortis repraesentatio quam maxime convenit cum Etruscarum urnarum tristi granditate, praesertim quum accedant equi in hoc genere monumentorum acceptissimi. Saepe enim conspicitur in urnis Etruscis quadriga equorum in Acheruntis ostium vel veloci

cursu se praecipitantium vel certa mensura progredientium: eaque repraesentatio variis argumentis mythicis uno alterove modo est adaptata. In Hippolytea autem fabula paullo immutari formam erat consentaneum: neque enim progredi in ea equos vel currere oportebat, sed pavere et retrorsum exsultare. Eiusmodi urnae hucusque innotuerunt quattuor: duae Clusinae editae sunt a Micalio (t. 32, 33): tertia, item Clusina, descripta est a Braunio in relatione Clusina anni 1840, p. 151: quarta, quae Volaterris asservatur, ab Uhdenio (scr. acad. Berol. 1816. 17 p. 35). Quanquam hae duae, quas posteriores posui, non quadrigam ostendunt, sed bigam: nec minus in exhibendo monstro marino variavit artificum ingenium. Etsi enim plerumque taurus est, tamen in secunda earum urnarum, quas Micalius repraesentavit, leonis speciem habet: in duabus autem laminis aureis formae semicirculae, quas in Museo Britannico exstare Birchius nuper cum nostratibus communicavit (v. diar. a. 1846, p. 312), Hippolytum devorant equi Neptunii, ut hic prorsus alia ratione Hippolytum cum equo, Neptunio symbolo, coniunctum videamus.

Itaque quum in antiquiore arte haud raro Hippolyti mors appareat, mirum est, in tanto numero anaglyphorum Romanorum, quae ad fabulas Hippolyteas pertinent, tam raro mortem Hippolyti expressam reperiri. Nam praeter sarcophagum Agrigentinum, qui omnes fabulae partes complectitur et ex antiquiore aliquo exemplo fluxisse videtur, unus tantum innotuit huc spectans in villa Rusconia, cuius descriptionem a Zoega factam Welckerus exhibuit in annotatione ad Philostratum, quem tamen et ipsum deterrimi laboris esse Zoega affirmat. In eo exstat quadriga equis consternalis, de qua decidit Hippolytus: versus eum brachium tendit femina alata, fortasse dea aliqua Italica in Dianae locum substituta. Quod autem tam saepe in Romanorum sarcophagis ipsum argumentum tractatur, eo consilio haud dubie factum est, ut triste Hippolyti fatum animis obduceretur: immo haec ipsa consuetudo ex urnarum Etruscarum usu manasse videtur, ut magis

mirum sit, summam rei, i. e. letum Hippolyti, non apparere. Cuius rei vix aliam causam invenio, quam quod recentioris illius aevi mollities ab huius argumenti severitate abhorrebat, qualem quidem Etrusca ars imprimis adamarat. Itaque quod Zoega observavit, vitasse veteres artifices eius argumenti tristitiam, recte se habet, si ad anaglypha Romana spectamus, non item, si ad prioris aetatis artem. Vel illud est memoratu dignum, quod in sarcophago Agrigentino, qui ceteris est et aetate et arte praestantior, certe ex antiquiore aliquo exemplo originem duxit, comparet mors Hippolyti, non comparet in ceteris. Qui autem solus praeterea hanc mortem ostendit, ille a Zoega descriptus in villa Rusconia, eius artifex ipse quodammodo mitigare studuit rei tristitiam addita dea tutelari. Immo in ceteris non casu omissam esse Hippolyti mortem vel temporum iniuria eas partes periisse, sed consulto huius representationem vitatam esse luculento testimonio est unum eorum anaglyphorum, quorum descriptiones a Zoega factas insigni sua humanitate mecum communicavit possessor Welckerus. Est sarcophagus in palatio Lepri, cuius mentionem Zoega iam iniecerat in libro de anaglyphis Romanis I, p. 230 et 238: eius in fronte expressa est venatio, qua Hippolytus aprum venabulo insequitur. Huic comes est dea tutelaris in modum Amazonum vestita, ei dextram praetendens, quam Zoega Iunonem Amazonum interpretatur. Hippolytum antecedunt duo alii iuvenes equis vehentes, qui aprum non ingrediuntur: prae eis fugit cervus, quem canis insequitur. In altera parte frontis conspicitur Hippolytus in vitam revocatus, quae res eo indicata est; quod latera et crura fasciis sunt ligata: ei opposita est Diana, dextra eius pectus tenens: additus est senex equi frenum tenens, Hippolytum intuens, haud dubie paedagogus. In latere contiguo cernitur taurus furibundus, qui casam stramineam cornibus petit. Non est dubium quin intelligendus sit taurus Neptunius, qui Hippolyto letum paravit, praesertim quum additae sint in utroque latere pinus Isthmum Corinthium significantes. Ut manifesto mortem

Hippolyti in toto opere significare artifex voluerit, sed ob rei tristitiam indicarit tantummodo, non expresserit: etsi merito quis quaeret hodie, num fasciis ligatus Hippolytus aptius arti argumentum sit quam curru deiectus. Itaque quum labentem artem ab Hippolyti morte dedita opera abstinuisse videamus, mirum est, eandem non prorsus abstinuisse a cognato argumento, quod non modo triste, sed foedum est, quodque antiquior aetas merito repudiabat, Phaedrae dico exitium. Scimus enim in inferorum descriptione Polygnotum non sine magna verecundia pinxisse Phaedrae suspendium, quum speciem ei oscillantis tribueret, teste Pausania X, 29, 2: nec novimus illud alias repraesentatum fuisse priore aetate. Verum prodiit ex villa Munatia Procula pictura infimae aetatis et laboris deterrimi, in qua cum quattuor aliis feminis mythicis Phaedra conspicitur laqueum tenens (v. Rochett. peint. ant. pl. 5): eamque non solam in suo genere fuisse Rochettius docuit in censura libri Serradifalchiani allato loco Ausonii id. VI, 32:

Respicit abiectas desperans Phaedra tabellas:

Haec laqueum gerit.

Hasce enim ipsas fabulas a suae aetatis imaginibus non alienas paucis versibus ante significarat Ausonius:

Tota quoque aëriae Minoa fabula Cretae

Picturarum instar tenui sub imagine vibrat.

At reputandum est, hoc genus picturae multo etiam recentius esse anaglyphis Romanis.

In quibus quidem quo rarius ipsa mors Hippolyti effertur, eo saepius duae aliae partes fabulae, Phaedrae libido et venatio reperiuntur expressae, idque fere ita, ut in sinistra parte anaglyphi illa, haec in dextra expressa cernatur. Eiusmodi anaglyphorum largam messem recensuit Iahnus in sua de Hippolyto et Phaedra commentatione inserta illa symbolis archaeologicis p. 300—330. Eodem tempore quum ego, inscius Iahniani propositi, de hoc argumento disputarem (diar. arch. 5,) illis anaglyphis quae iam in lucem erant edita, alia addidi mihi cognita ex eis Zoegae descriptionibus, quas exi-

miae Welckeri humanitati debeo. Ac primum ut de ea parte agamus, qua Hippolytus cum Phaedra coniunctus vel potius non coniunctus cernitur, in anaglyphis videmus plerumque ab una parte sedere Phaedram circumstantibus feminis, ab altera nutricem cum Hippolyto disserentem. Quaeritur autem, utrum haec duo seorsim cogitanda sint an una scena coniungenda: quarum sententiarum quum ego priorem meam fecerim in eoque Euripidem maxime secutos artifices existimarim, alteram amplexus est Iahnus. Ac video nunc equidem, me meam ex Euripide sumptam explicationem festinantius ad omnia haec monumenta retulisse: nam in anaglypho Pisano, quod apud Lasinium est numero 73, Hippolytum ipsam Phaedram alloqui, certe eam intueri recte Iahnus animadvertit: verum in hoc peculiariter lusit artificis ingenium. Omnino enim variarunt hic illic artifices instituti rationes, in quo genere maxime memorabile id est, quod in tabula Pompeiana, quam Zahnus repraesentavit ornam., II, 61, nutrix dextra manu Hippolyto tradit epistolium, sinistra autem stilum tenet. Quis tamen credat propterea in omnibus monumentis, in quibus diptycha comparent, rem ita intelligendam esse, ut nutrix ob verecundiam rem in tabula perscripserit, praesertim quum hic etiam ea explicandi via pateat, ut nutrix responsum ex iuvene petere credatur? Quod autem ad duas scenas in sinistra parte plurimorum anaglyphorum repraesentatas attinet, eas revera duas esse ut iam ex ipsis anaglyphis satis probatur, ita magis confirmatur auctoritate incisi lapidis, quem in Museo Bourbonico exstantem in fine huius dissertationis delineandum curavi. Habet enim hoc genus monumentorum illud proprium, quod aliorum operum argumenta artius contrahit eoque lucidius aperit artificum sensa: itaque in hoc etiam lapide videmus fabulae summam scitissime adornari. Columna enim in duas scenas dividit imaginem, quarum quae dextra est, in ea conspicimus Phaedram cum nutrice acriter colloquentem, in altera Hippolytus, cui oppositus est alius iuvenis, cane delectatur. Non mirum quod in tam pressa compositione equus

desideratur, qui in maioribus Hippolyto addi solet, praesertim quum canis satis praebeat attributi: sed egregie rem instituit artifex, quod iuvenem socordem fecit et ludendo intentum, quasi nescium fati imminuentis. Sed quod vel in tam minuta representatione duas actionis partes discerni videmus, quae quidem in aliis minoris ambitus monumentis in unum contrahuntur, eo fit probabilius, in maioribus etiam duas scenas sumendas esse.

Venatorem Hippolytum plerumque conspicimus in dextra parte eorundem anaglyphorum, ubi fere aprum Phliasium, semel leonem insequitur: ea re internoscitur Hippolytus ab aliis venatoribus, quod equo vehitur chlamyde volante indutus. Permirum autem est, ei fere praeter venatores comites additam esse feminam galeatam, tunicatam, endromidibus indutam, quae eum protenso brachio tueri studet. Eam non debebam cum Zoega Dianam appellare, *σύνθακον* et *συζύραγον* sane Hippolyti, ut verba sunt Euripidis: quae opinio omnino refellitur exemplo illius sarcophagi in palatio Lepri. In eo enim ut alias haec figura venantem Hippolytum comitatur: sed in altera parte eiusdem sarcophagi ipsam Dianam cernimus solito habitu expressam, ut diversas personas esse intelligatur. Nec videtur tamen dubitandum esse, quin in antiquioribus archetypis Diana comes addita sit venanti Hippolyto: sed in eorum locum Italicam aliquam deam substituerunt Romani, sive ea Virtus est sive Roma, sive Iuno Amazonum, de qua Zoega cogitavit. Iam quod ad habitum venantis Hippolyti attinet, vidimus eum fere chlamyde volante leviter amiciri, praeterea equo insidere, quo quidem ab aliis venatoribus discernitur. Sic et in sinistra parte eorundem anaglyphorum, ubi cum nutrice colloquitur, equus addi solet cum comitibus, et in duabus etiam minoris ambitus tabulis, quarum una in thermis Titi est, altera Herculani, equus additus est ad significandum Hippolytum. Quam consuetudinem equo Hippolytum significandi ex antiqua illa religione fluxisse iam supra monui: cuius memoria ut in Italia magis quam in Graecia servaretur, fecit fortasse

Diomedis cultus in Italia vigentissimus. Nec obstat, immo opitulatur huic sententiae, quod Virbium nemus Aricinum non fas erat equis attingi teste Ovidio Fast. III, 265. 266:

Hic laet Hippolytus furis direptus equorum,

Unde nemus nullis illud initur equis:

nam amicas rationes cum inimicis in mythologia saepenumero commutatas esse res est notissima. Eodem spectat quod in duabus, quas supra memoravi, laminis aureis Musei Britannici equi devorant Hippolytum.

L. V. Schmidt.

